

5732  
1708 86  
**DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
ABSTINENTIA  
IVRIS NATVRAE  
A FALLACIBVS REGVLIS  
PVTATIVI PROCESSVS  
SVMMARII,**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO *141*  
SERENISSIMO PRINCIPĒ AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBVRGICO, CETERA.

IN ILLVSTRI REGIA FRIDERICIANA  
*PRAESIDE*

**SIMONE PETRO GASSER,**  
IVRIVM LICENTIATO,  
FAVTORE PRAECEPTORE AESTIMATISSIMO  
*IN AVDITORIO MAIORI*

D. OCTOBR. MDCC VIII  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

**DAVID COCH,**  
COESLINO-POMERANVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI ACAD. ET SENAT. TYPOGR.

MDCCXL.

(4)





## Contenta totius Dissertationis.

**D**uo sunt principia formandæ vita, & tres, quæ nos reducunt viæ imitatio, lex & processus. pr. Ultima hic tractatur, de qua dolendum, quod non possit obtineri sine certis regulis, idque illustratur exemplo populi Israelitici §.1. Trausitus fit ad processus nostros & methodum dicendorum §.2. Processus noster ex jure civili nostro originem trahit, quod non est Romanum, nec Canonicum, sed cum hoc consistit in propagatis principiis Glossatorum §.3. & 4. quod commonatur ex nimia autoritate Glossæ de qua stupenda encomia producuntur §.5. unde nemo deinceps ab ea aberrare ausus, nec ipse Bartolus, cuius tamen œconomia spirituum seu temperamentum, mera fuit ambitio, quod probatur, & aliud de Baldo predicitur, §.6. Hi omnes processum juris Rom. ignoravunt, & proinde res ad processum pertinentes ex illo jure male applicarunt, quod illustratur ex arbore jurisdictionum §.7. Ex qua confusione tam fallaces regulae processui se insinuarunt §.8. que differentiam processus ordinarii & summarii admettere non possunt §.9. Qui describitur ulterius cum suis regulis & requisitis §.10. quæ reducuntur à practicis ad essentialia & accidentalia, & illa dicuntur juris naturæ, ac à Deo instituta §.11. quod non rite ex processu Dei contra Adamum deducitur, & quod res est, illa essentialia nec omnia ad jus naturæ pertinent, nec differentiam à processu ordinario efficiunt §.12. ad prius explicandum traditur, qua ratione facta narratio sit juris nature, quod de petito plane negatur §.13. L. C. seu responsio an sit jur. nat. examinatur §.14. & quomodo sub hoc pallio tam diu processus extendantur §.15. Defensio quod rarissime jur. nat. sit deducitur §.16. quod etiam de remediis suspensivis prædicatur & quod jus naturæ ignoret effetus

Hus rei judicatae. §. 17. differentiam quoque à processu ordinario ista requisita & regule non stabilunt, ad quod examinandum processus in quatuor classes dispeſit. §. 18. Sed porius fallunt in omnibus classibus, & quidem quomodo in prima sc. dilatoris ostenditur. §. 19, 20, 21. quomodo in secunda sc. ratione probationis. §. 22. & imprimis juramentorum. §. 23. quomodo in tertia sc. ratione remediorum suspensionorum, & quarta, ratione modi liquidandi & exequendi. §. 24. fallunt quoque regulæ quibusdam processibus summarii propriæ, quod illustratur de posseſſorio summarissimo & executivo. §. 25. de processu mandati. §. 26. de Cambiali, quomodo hic resolvatur in executivum, §. 27. de processu matrimoniali. §. 28. fallunt quoque media corrigendi defectus, quod asseritur de audientiis mundlichen Verhören, & mediis coactiōis ad transactionem seu compositionem. §. 29. item de exactione juram. calumniæ, & rescriptis justicie & excitatoriis, & concluditur virtutem esse tam rei quam personarum. §. 30. in quo vero consistant judicia secundum jus nat. remittitur separatæ indagini & finitur Dissert. §. 31.

## PROOEMIVM.



Uo potissimum sunt principia formandarum actionum humanarum post lapsum, cum homines solo Spiritu Dei unice se emendari & regi non amplius patientur, quia in carne sunt & temporiam directionem requirunt, decori scilicet & justi; hæc vero in jure nostro ad alia duo reducuntur, honeste viuere, & neminem lèdere, prius ex opinione hominum, potentiorum quidem, & honoriorum, & quorum actiones licita approbantur imitatione, ambitioni in se honestæ deditorum dependet, & regulam aliam non habet, nisi quod, qui Romæ est, romano vivat more nescium sit, alterum vero vivendi principium arctius est, nexus obligandi magis expedito, ac descendente quidem à voluntate legis

gislatoria seu divina seu humana, ne alterum lœdamus, & ex hoc fluit tertium, quod quidem per ipsum legislatorem non immediate, sed mediante iudice excitatur, dato modo procedendi; quoniam etsi lœdendus nemo sit, nihilominus tamen hoc sepius, lege non observata accidit. Ut adeo in effectu tres sint, quæ nos reducunt viæ, opinio seu existimatio, lex, & processus. Utimam hanc viam cum remedis ejus & deviis, ac quæ nobis in ea ut plurimum accidunt perlustratus pro specimine studiorum, finitis laboribus academicis, aliquo modo examinando tradam, pro instituti ratione, & rubri præmissi requisitione, ingenii vero imbecillitate, rerumque meliorum voto, Faxit Deus feliciter.

## §. I.

**D**olendum vero statim ab initio, quod in hac actionum humanarum formatione sine regulis certis ac præscriptis vix procedatur, cum tamen, nisi officium judicis latius sit, & ad regulas modi procedendi non tam arcte restrictum, impossibile sit, dari rationabilem processum, quia non diuturnitate temporis idem nocet, quod prodesse potest. Tanta vero fuit ab initio malitia hominum in tribuendo cuique suum, ut nec ipse Moses populum suum beneficio licet mirifico è servitute rediçtum, ad legem societatis mixtæ, civilis & bellicæ sola direccione æqui & boni, naturæ ipsius legibus satis patentibus dirigere potuerit, ut potius postquam Jetro consilium de legibus certis præscriptis suppeditandis accommodasset, ipse Deus latis legibus tabularum ipsi succurrere, necessum haberet; his vero in medium prolati, facilius populus Israeliticus voci Mosis & dicto obedientes erant, & omnis deinceps processum tam in civilibus, quam criminalibus statim expediebatur, re si vera fuerit facile decisa, & ubi corpus delicti nullum aderat, mox absoluta; Sic v. g. Cum denunciantes adessent, quosdam de populo divinare in castris, non inquisitio seu generalis seu specialis instituebatur, non examinabantur testes, non adhibebantur Litiscontestatio, confrontatio, Tortura, sed

A 3

statim

statim non invento corpore delicti respondebat Moës: utnam omnis populus divinaret! Ubi vero aliæ cause determinandæ, pro more processus tunc temporis frequentati, & per vocem Moësis & Aaronis communicati e prioribus libris veteris Testamenti constantis facilis negotio expediebantur, & quidem sepius per adductionem, & præsentationem coram facie populi vel Deorum, i. e. Judicium, aliquando quoque signis certis adhibitis, cuius rei exemplum *Exod. 21.* & *Num. 15. v. 34. usque ad fin.*

§. 2. At vero, ut ad institutum nostri processus potius redeamus, & argumentum dicendorum, & ut patescat præprimis, qua ratione tractu temporis Processus Juris in foro agitati, & qua mutatione ad nos devenient, diximus in rubro sermonem nobis futurum, de abstinentia juris naturæ à fallacibus regulis putativi processus summarii. Ut vero hoc institutum rectius, & ab initio constet, ita videtur tradi posse commodissime, vt primo ostendamus, unde regulæ nostri Processus originem trahant, qui nam habeant pro processu summario, quare non in rei veritate talis sed putativus tantum sit, & ita regulæ illius admodum fallaces, quibus expeditis facilius erit judicatu, qua ratione jus naturæ ab ipsis regulis abstineat, & quare Processus nullus hodie verè & in effectu summarie tractari possit, cum impossibile sit in aliqua processus ita nominati figura illud obtineri posse.

§. 3. Quamvis vero jus nostrum quo utimur vel civile sit, vel canonicum (puta secundum communem opinionem) inde etiam vtrumque jus ad duo dicta restringitur, cum tamen canonicum sub humano comprehendatur, & sic potius divinum & humanum sub voce utriusque juris denominetur, nihilominus tamen non multum aberrari à veritate experientia existimamus, si ratione humanarum legum addatur, patriam nostram ad statum Germaniæ antiquæ, quodammodo esse redactam, ubi plus valebant mores quam leges scriptæ, nam nec civilis lex nec canonica ad nos pervenit, nisi mediante opinione communi & observantiae approbatione, in tantum, ut satius fere sit habere pro se opinionem Jurisconsulti Patrii, quam legem express.

pressam, & ipsa obseruantia tollit legem, quid hoc vero est? nisi vivere moribus. Idem igitur judicium quoque esto de Proces-  
su, qui quoque vel à jure civili vel canonico originem trahere communiter dicitur, & in collatione horum jurium constans est omnium judicium canonico juri processum potius debere ortum quam civili.

§ 4. Enim vero, si res penitus inspiciatur altioris esse indaginis censemus, & primo loco monendum, annon hodie tam civile ius, quam canonicum eodem fundamento & principio, seu eadem traditione nitantur, notum enim est, non tan-  
tum ipsa ius civile, & ejus corpus nobis traditum a Glossato-  
ribus, & eorum oraculo post Irnerium Accursio, sed & ea,  
que ex jure civili supponimus, nihil esse, nisi succum & sanguinem Glossæ, leges Romanas ita explicantis omnesque dein-  
ceps JCtos post Glossatores tanquam discipulos Bononienses fundatos esse magis illorum traditis, quam ipsarum legum in-  
cunabulis. Ac deinceps quod magis est cum ius canonicum eodem fere tempore in ordinem redigeretur, iisdem principiis instructum, ejusdemque generis interpretibus traditum esse, ac ita quoque ratione jurium tunc fundandorum eandem rem, eademque principia in utroque ad nos devenisse, non est du-  
biuum. Indeque hæc fundamenta exstirpari iterum non potu-  
erunt, etiam si deinceps nonnulli, duci Historiæ Romanæ à traditionibus Glossatorum recesserint, ut Duarenus, Hotto-  
mannus, Cujacius, & alii, quorum mentionem facit *Illustr. Dn. Thomasius in denen Grund-Lehren Part. 2. num. 32.*

§. 5. Postquam enim in Italia Irnerius, & post eum reliqui jus Romanum docerent, supposito tamen, quod Longobardorum moribus, & eorum propriaque praxi inabuti fuerint, & Accur-  
sius Glossam perpetuam rejeclis reliquis conscriberet, tumque temporis sola auctoritate à Studiosis simplicibus viveretur, tan-  
ta deinceps erat auctoritas Glossæ, ut Studiosi, & quicunque etiam ius tractabant, ne per somnium quidem de alio jure,  
quam Glossæ cogitarent, quam in rem juvabit quædam saltem  
de autoritate ejus, & encomia protulisse; Ita enim communiter  
sen-

sentiebatur, 1. quod à dicto Glossae, tanquam à perpetua veritatis Carotion non sit recedendum, 2. Quod sicut qui nescit equitare se tenet ad arcionem, ita qui debet iudicare teneat se ad Glossam 3. Quod adhærens Glossae in eternum non possit errare, 4. Quod fatuum sit confusare contra Glossam & somniari dicantur Dd. volentes infringere Glossam. Inde 5. Cynus acclamabat Advocato cuidam: Aud. Idolum tuum Glossam, & 6. magnificenter omnes Dd. Glossam. Quæ omnia cum infinitis pluribus collegit Card. Tuschi. in Conclusi Præct. T. 4. fol. 169. lit. G.

§. 6. Inde etiam ipsius dicti Tuschi, omniumque fere post Glossatores summa eruditio, prout ocularis inspectio docet, in eo unico consistebat, ut colligerent opiniones & conclusiones communes, iisdem fere terminis, iisdemque ut plurimum verbis ne ab auctoritate recederetur; Unicus Bartolus adeo ambitiosus erat, ut solus in Italia voluerit regnare; nihilominus tamen artificium ejus, nullum aliud fuit, quam ut *veterum nominata* tacuerit, & eorum dicta sibi surserit, non quod nova adduxerit; fuisse vero temperamentum ipsius de sola ambitione, ea que insigni & terribili, non tantum ex dictis appetet, sed etiam quia communiter de eo asseritur, quod cum *in summa Juventute* jam fuisset *Affessor causarum criminalium*, *reliquo officio*, cum vidisset alios eruditiores, se contulerit denuo ad *ad descendam Theoriam* scilicet ut propter eruditioem florerer, deinceps, quod *opinionibus Laicis* studuerit, eoque ipsum multum honoratus fuerit, nam & *juridica* erant clericalia, nemo enim docebat, nisi Clerus, deinde, quod ad pondus comedet, ut intellectum haberet pariter *dispositum*, quam sane connexionem moralium cum naturalibus est Schola & philosophia clericali non didicerat. v. *Richard. in virtutis ICtor. exhibit. in Tract. Tract. Tom. 1.* Contra Baldus magis voluptuosus erat, nam adeo volubilis erat ipsius lingua, ut cum Bartolo ab hora 18. usque ad 21. disputaret, de unica quæstione, eumque vinceret disputando, defuper colligi quoque potest ei animus ex opinione illius, quod in *Læde 3. C. locat.* statuerit Studiosos alendo meretrices expelli non posse ante finita locutionis tempora.

§. 7.

▲ FALLACIEVS REGVLIS PVTATIVI PROCESSVS SVMMARII.

§. 7. Atque adeo ex supra dictis firmiter inferimus cum sola ac unica auctoritas & opinio Glossatorum principia juris tam civilis, quam canonici conficeret, nullum nos habere aliud jus, quo utamur, quam tradita Glossatorum, nec obest, quod illæ opiniones legibus fundatae, & saltem superstructæ centendæ sint, nam sicuti in expicanda S. Scriptura ad duo respicitur, Parallelismus scil. & analogiam fidei; ita quoque se res habet in expicandis legibus juris humani, & quidem analogia juris efficit, ut L.L. deinceps explicitur secundum ea, quæ jam thetice supposita sunt, hæc vero ex auctoritate priorum sententium & doctrinæ potissimum dependent. Inde non est mirum ut ad scopum proprius accedamus, quod in materia processus statim à traditis iuri Romani fuerit recessum, cum ejus facilitatem, imo historiam Glossatores ignoraverint, neque processus & status judiciorum cum eo, qui olim Romæ erat conveniebat de quo videatur in *Revardi, Sigonii, & Francisci Polleti operibus*, ut & in Dissertatione *Obrebiti*, omnium optime vero in eruditissima *Dissertatione inaugurali. Dn. Lic. Cellarii habita sub Exc. Dn. Jo. S. Stryk. de Processu Jur. Rom. antiqui*. Unde etiam in tradendis materiis Processus valde aberrabant, & ipsos actus ad quos expediendos Judices olim dabantur, cum ipsis speciebus Jurisdictionem confundebant, quod patet ex arbore jurisdictionum, quam Bartolus præfiguravit, (quod tamen mirum, cum antea dictum eum aliquo modo, à simplicismo clericali recessisse, Clerus vero papalis semper in docendo figuris & imaginibus delectatur, quare & adhuc hodie in terris Sinensis Christianismus ita propagatur à Jesuitis, quam in rem & barba prolixa utuntur.) & quidem arbor illa ita in ramos extenditur, ut omnes partes jurisdictionis deducantur in magnas, majores, maximas, parvas, minores, minimas, & ita de imperio, tam mero, quam mixto; alia quoque figura illam arborem exhibit *Guilhelmus Luvoranus in Tract. Tract. Tom. 3. Fol. 15.* & paulo post eam describit *Johannis de Grassi*, qui etiam vocatur *præstantissimus Juris utriusque Monarcha* comparando gradus Processus cum arboris radicibus, stipite, ramis, floribus, foliis & fructibus, ubi sane nihil deest, quam, cum

B

pro-

processum sententia definitiva carentem esse arborem dicat non bentem fructus, adjiciat quoque poenam, ergo excidatur & conjiciatur in ignem, sic enim plurima acta post varios annos ut fructus adhuc eveniant, concessos, in igne deprehenderentur; Imo vero cunctas Glossatorum arbores, qui ita tractaverit poenam circa arborem Sycaminonem statutam in l. pen. ss. d. Extr. crim. non facile incurret.

§. 8. Eodem quoque modo in aliis materiis Processum potissimum tangentibus, ut Citationes, contumaciam, probationes, & ita porro perpetua confusio oriebantur, semel scil. recepto alio modo procedendi ex variis moribus populorum, qui Italianam eatenus possessam tenuerant, originem trahente, & nihilominus in causis circa hanc rem dubiis decisione e principiis juris romani reducendi petenda. Tali vero confusione tot & tam diversæ regulæ Processui se insinuarunt, & per Clerum juriū interpretē, cuius cum Pontifice intererat diutinis Processibus Laicos fatigare, omni modo stabilitate ac deinceps pravitate iudiciorum corroborata, ut sive summarius sit Processus, sive ordinarius, eadem res sit, uti mox dicendum ulterius. Est vero processus summarius, seu dicitur potius, in quo levato velo proceditur, hoc est, vel debebat esse, non observatis regulis Processus Ordinarii, ejusque diversæ communiter enarrantur, in quibus vel propter salutem publicam, ut in causis Tributariorum & Inquisitionis, vel qualitatē seu favorem personarum, ut mercatorum, viduarum, Ecclesiarum, vel quia res moram non patitur, ut causis alimentorum, sepulturæ, vel exiguum præjudicium & facilitatem reparationis celeriter procedi dicitur, prout hos Processus in quatuor hujusmodi classes distribuit B. Dn. Brunn. in Process. Civ. cap. I. n. 22. Has vero causas in plures dispescere aliis placuit enumerando casus & exempla Processus summarii, quorum viginti tradit Afinius in Process. Civ. Part. I. §. 3. cap. 30. per tot.

§. 9. Ut vero altius rem ponderemus videri statim poterat injuriam fieri regulis Processus summarii, quas potius summa æquitate nisi vix negantum, tam quoad regulas communes,

munes, quam proprias huic vel illi processui summario in specie,  
 & quod communes quidem attinet, patet statim oculariter & qui-  
 tas naturalis non de neganda regulis quae potissimum sunt, quod  
 procedatur simplici & plano absque strepitu & solenni figura judicii  
 non observato scilicet ordine processus, positivo jure praescripto sed sola  
 veritate facti inspecta, ita ut nec libello opus, nec lita contestatione,  
 nec feriarum ob necessitates humanas confluuntarum solemnitas at-  
 tenditur nec dilaciones, omnesque indifferenter exceptiones & ap-  
 pellationes admittantur, prout has regulas communes ex Gaiilio,  
 Ummio, Rittershuso, & aliis refert Carpz. in Proc. Jur. T. i. art. 1.  
 n. 16. & 17. At vero quam speciosae haec regulae sint, licet omnibus  
 causis summaris facile videantur applicabiles & communi-  
 tes, & quomodo fallant, propriæ quoque nonnullis processi-  
 bus in specie & qui vel maxime extraordinarii esse debebant,  
 quam fallaces sint ex sequentibus ulterius patebit.

§. 10. Et quidem in superioribus judiciis ac summis Tri-  
 bunalibus plane ignorari differentiam processus summarii &  
 ordinarii, sed tantum in inferioribus quodammodo umbras  
 ipsius reperiri jam alii observarunt videlicet Dn. Ludovic. in Proc. civ.  
 cap. 7. §. ii. cum vero ab inferioribus ad superiores judices per  
 appellationem causæ deveniant, & etiam in iis causis quæ ap-  
 pellationem respuunt, nonnullo effectu illa evitari non possit,  
 videndum, an non hoc unicum in causa sit, quod judex non  
 habeat vim officii, sed secundum regulas praescriptas proce-  
 dere debeat, & quod adeo ipso facto propter insufficientiam  
 illarum, imo necessariam & inevitabilem fallacitatem, tota do-  
 ctrina effectum consequi non possit; ad quod examinandum,  
 differentia, quæ inter processum ordinarium & summarium  
 ulterius, & ipsis textibus juris fundatur, probe indaganda,  
 qua forte cessante facilius obtinebimus; sedes vero differen-  
 tiae partim in legibus civilibus partim Jure Canonico commu-  
 niter queritur, & quidem quoad jus civile producitur L. 3. §. scien-  
 dum. L. 9. §. judex. ff. ad exhibend. L. ii. §. 6. ad L. Jul. de adulto.  
 L. 9. §. 3 ff. de Off. Process. At vero jam superius diximus ad  
 doctrinam processus jus Romanum plane non quadrare, bene  
 tamen

ramen jus civile nostrum, quod hoc loco potissimum cum iure Canon. coincidit, unde videndum de textibus hujus iuris & quidem accedit, *Cap. Sepe contingit de V. S. in Clement.* ex quo præter dictas regulas ita adhuc traditur, quod in processu summario *judex amputet dilationum materiam, litem quanto poterit, faciat breviorem, exceptiones, appellations dilatorias, & frustratoria repellendo, partium advocatorum, & procuratorum contentiones & iurgia, testimoniique superfluam multitudinem refranndo:*

§. II. At vero ut omittamus sequentes limitationes, atque quæ ratione interrogationum aliorumque dicto loco ex Jure Romano inutiliter repetita, quoniam hæ regulæ *amputandi, refranendi &c.* nimis generales erant, præcili differentiam utriusque processus ita exinde potius explicant, distingundo nimirum inter substantia & accidentalia, illa dicuntur esse Juris Naturæ & ita originem trahere ex Jure divino ac naturali seu gentium, unde quoque in processu summario nec posse nec debere non observari, propter *Cap. Sepe. 2 d. Tit. de V. S. in Clem. Alex. Vol. 3. conf. 6. col. 2. in Pr. Zang. dif. Cap. 2. n. 9.* Inde etiam illa substantia Dd. recensent & requirunt, v. g. aliqualem facti narrationem licet non solennem libellum, & ita porro, juxta tenorem all. *Cap. Sepe contingit* sententiam demum post causam sufficienter cognitam, hunc enim non tantum Jur. Nat. sed ab ipso Deo institutum & adhibitum processuum esse adferitur, qui *Adamum ad se tanquam in jus vocavit, & ob transgressionem mandati accusavit, ejusque exceptionem audiuit, ac postea sententiam iulit,* prout hec requisita Juris Divini & Naturæ Gentiumque explicantur a Corpz in Proc. Jur. T. I. Art. I. n. 23. 30. 31. & Practicis communiter; imo ne partes causam conquerendi habeant, senon satis esse auditos, adhuc Juri Naturali convenieus esse adstruitur, & secundum illam juris diuini dispositionem judicis arbitrio committi, si pro re nata exceptiones, dilatorias, positiones, interrogatoria, aliaque juris positivi admittere velit, & sic processum summarium attemperare Zang. dif. Cap. 2. n. 13. Ea vero, quæ principaliter naturalia in pro-

processu dicta, nec ipsum Principem nedium Judicem negligerere posse, adjicetur propter l. 2. §. 16. ff. ne quid in soc. publ. l. 4. C. d eman. liber. vid. Ant. Fabr. in Cod. lib. 6. t. 5. Def. 2. n. 21. quod ultimum in se verum, etiam non allegatis LL.

§. 12. Haec sunt potiores regulæ, quæ communiter tranduntur in tantum esse Juris Naturæ, ut omitti vel negligi nequeant, tanquam essentialia; Videamus vero, an in effectu a limitibus processus ordinarii differant; & quidem primo ante omnia monendum allegatam illustrationem Carpzovii d.l.de processu ipsius Dei contra Adamum non admodum rite applicatam esse, ibi enim natura'ia processus neutriquam continere sententia, vel adhibendi necessitas fuit, quid enim profuisset probare contra Adamum? cum judex esset omniscius, ergo sane nec exceptions audire necessum erat, quas pariter melius, quam pro relatione accusati, judex ille cognitas habeat nec ex verbis ubi es? in jus vocatio elicienda, judicium namque ratione Dei est ubique, & præterea *accusationis* verbum plane impertinens, utpote que semper fit ab alio; Quod, vero ipsa naturalia processus attinet, quoad scopum nostrum tria potissimum monenda venient, scilicet quod nec ipsa omnia Juris Naturæ sint, quæ pro talibus venditantur, deinceps, quod differentiam inter processum ordinarium & summarium effective non stabiliant, & demum, quod propter exceptiones tot tantasque, eodem jure admissas, & dependentes ipsasque regulas tollentes, dictæ regulæ semper æque fallaces manent cum reliquis qua in processu ordinario admittuntur, & quod adeo propter tot incidentia veri & sufficietes limites non ponantur, positi vero ad jus Naturæ plane, non pertineant.

§. 13. Et quidem primo eam esse aliquo modo naturam negotii in processibus fatemur, ut factum narretur, at hypothetice & secundum quid, scilicet quatenus facti narratio conjuncta & conveniens cum probatione vel praesentanea vel statim determinanda quam nos adeo basin & unicum verum & genium fundamentum juris naturæ in toto processu nominamus, ad quod unicus scopus judicii formandus, nam

omnia reliqua pertinere ad solum arbitrium judiciis, naturali rationi dicitante dicetur deinceps, quoad petitum vero necessario adjungendum plane negamus illud juris naturæ esse, nec omitti salva substantia posse, re enim narrata & probata, quid aliud est judicis? quam condemnare vel abso vere: petitum vero pertiner ad decorum, etiam secundum ipsam regulam: *narrat fadum iura scit curia;* petitum enim semper accensetur conclusioni, conclusio pertinet ad jus, hujus applicatio ad Judicem ergo & applicatio contentorum petiti; Inde non est mirum, tam inanes quæstiones h. l. occurrere, quæ regulas processus potius turbant, videlicet, circa obscuritatem vel generalitatem petiti, unice propter absurdum illud postulatum, quod sententia debeat esse conformis perito, quod idem est, ac quoniā actor ineptus vel absurdus fuit in petendo, judex quoque talis debet esse in judicando, vel plane debet istum libelum dentibus lacerare, inde etiam patet fieri potest absurditas clausulæ salutaris, herbae illius betonicæ, quævis vitia sanantis, at vero hæc sanatio non est necessaria, nisi morbus fingeretur inanis, & Molierianus, infestus enim erat, vel esse debebat officii Judicis, ut ex æquo & bono judicaret applicaretque jus ad factum jam narratum, dummodo probatum sufficienter constet.

¶ 14. Alterum requisitum substantiale dicitur litis contestatio, vel in processu summario aliqualis responsio, hæc etiam si non adsit, dicitur nullitas insanabilis, & quod impingatur contra principia ipsa lege naturali inculcata. At vero quæ de hac quoque re adstruuntur, jure divino naturali minus fundari persuademur; Licet enim vix negandum censeatur non posse statum controversiæ in aliqua causa formari, antequam altera pars respondeat, nihilominus tamen hoc potius petit principium; quæstio enim adhuc est, an necessario cum controversia semper res debeatur, annon etiam sine ulla contentione petitore fundamentum petitionis plene probante res propter naturam negotii aliquando adjudicari possit, si reus in

in respondendo deficiat, & an justæ petitioni plane non deferendum, cum non respondeat reus. Sane si ita essentialiter requiri respcionem est et intelligendum, sequeretur inde, si reus responderet nolit, unice nolendo actorem repellere posse. At facilis videtur horum rejectio, adsum enim media compulsiva, videlicet, arctior citatio, & quidem sub poena nonnunquam pro re nata recogniti, confessi & convicti, & ita porro, vel etiam reo nolente respondere, actori, uti potissimum in Saxonia inferiori moris est, via probandi aperitur, & lis pro negatiue contestata habetur; sed hoc est quod volcāmus, si nempe si ne controversia rei actori probatio injungi potest, & ita sufficenter probanti satisficeri, exinde satis appetet, non esse responsionem rei semper de essentia & ita juris naturæ.

§. 15. Nec nobis obest, quod ita per indirectum & respecti-  
vile, scilicet respectu contumacia, responsio abrumptatur, at-  
que adeo antequam de ista contumacia constet necessario re-  
quiratur, ut reus respondeat, nos enim cum inquiramus, cur illæ regulæ de processu summario tam communiter fallant, ut  
fere adentia rationis ille referendus sit, hoc potissimum demon-  
stramus, quod sub pallio juris naturæ hæc tantum ita tractentur,  
& illud præstetur, ut circa litis contestationem seu responsio-  
nem semper particularis processus formetur, qui sèpius & que-  
diuturnus est, ac tota tractatio cause principalis, nec enim lo-  
quimus de exceptionibus, quæ hoc loco potissimum cum responsio-  
ne confunduntur, illæ enim de natura negotii omni tempore  
audiendæ, etiam de ipso processu consueto, quandoque in ipsa  
executione, quam vero infinitæ questiones circa litis contesta-  
tionem vel ita dictam summariam responsionem tractentur &  
immiscantur, dicetur ulterius, atque quod caput negotii est,  
ordinem procedendi, ut prius responsio precedat, deinceps  
actoris saltem probatio admittatur, *Cap. Quamvis frequenter. Ut  
lit. non contest. & antequam ad hanc deveniatur, tot questiones  
determinentur, cum reorum sit fugere saltem infringimus, con-  
tra quem nobis sufficiat demonstrasse, quod talis responsio de  
necessitate juris naturæ non sit, sed vi hujus potius judicem sta-*  
tim

tim ab afferente assertionis probationem requirere posse, ne quem audiat afferentem sive actor sit sive reus, nisi in continentia instructus sit probatione, hoc enim si fieret talis tantusque processus vix ratione fingi posset, qui ad miserrimas clades perniciiosissimasque miserias rerum publicarum sine dubio recensendus, id quod alterius illustrat responsio Sancti Remigii primo Galliae Regi ad quæstionem quādiū regnum galliæ sit duraturum, facta, *hæc enim omnia ab administratione justitiae dependere respondebat.*

§. 16. Quoad defensionem, quæ tertio loco inter requisita juris naturæ consideranda venit, communiter censetur, eam adeo esse essentialē & juris naturæ, ut *nec diabolo deneganda*, unde solennis ille processus Belialis contra Christum conscriptus ab Ayrero, ex quo libro omnia fere in processu competencia subsidia diutini processus, male itaque pro illis subjectis applicata, nonnulli addiscunt. Circa hanc quæstionem nihilominus aliquo modo cum distinctione procedendum arbitramur, videlicet defensio aut tendit ad factum, ejusque forte imputati contrariam probationem, & ita concedimus eam sine dubio esse juris divini & naturalis, aut pertinet ad deducendum jus, vel facti jam probati applicationem, & inde competentem absolutionem vel condemnationem, prout communiter defensio sumitur, & negamus hanc competere jure divino naturali, quicquid enim pro tali defensione in medium adfertur, vel ad factum pertinet vel ad jus, prius constat ex actis, & posterius pertinet ad officium judicis, & ita vi officii supplenda, ac etiamsi officium judicis in nostris processibus sit mercenarium, hoc tamen ad ea, quæ facti sunt adducenda, tantummodo quadrat, & ne hoc quidem jure naturæ, sed per fallaces regulas processus quod iudex nullo modo possit & agere jura partium, non vero ad ea, quæ sunt juris, quamvis & hoc loco regula fallat & non obliteretur, propter depravatum modum procedendi, prout ratione petitionis libello adjiciendæ superius demonstravimus, ad quid ergo superflua defensio, per quam nihil aliud queritur, quam iudicari, vel succurrere in officio, vel præscribere? Judicis enim offici-

officium quoque requireret, justam causam male defensam & traditam nihilo minus iuste decidere.

§. 17. Nec igitur plane fundata est sententia, quod remedia contra sententiam suspensiva sint juris naturæ, cum non gravari possit pars, quod non satis audita *de jure deducendo*, demonstrato, quod plane eam defuper audiri non fuerit necesse, nec enim constare posset, quoties ista remedia concedenda, nam semper per aliquo modo inveniendo aliqui juris se esse adhuc & adhuc gravatas partes in infinitum urgere possent, nec obest, quod per rem judicatam minis magnum præjudicium inferatur, nam nec effectus rei judicatæ juris naturæ esse, nec per illud jus certo tempore sententiam in rem judicatam abire posse existimamus, ad instar prescriptionis, quæ nisi pro tempore immemoriali hoc jure non fundata, non enim ad negotium facit, quod jus naturæ nolit dominia rerum esse in incerto, ac derelictionem quoque tanto tempore præsumi, nam dominia rerum jure naturæ nunquam sunt in incerto, sed etiam post tantum tempus certum, hunc potius dominium esse, quam eum, qui haec tenus possedit, & ita dominium rei semper ad illum pertinuisse; derelictione vero tantum præsumitur, donec expresse contrarium declaretur, & tunc præsumtio cedit veritati; si vero per novas probationes, quis post sententiam efficere aliquid posset, jus naturæ illud non respueret; Ergo si contra veritatem facti probatum vel plane contra jus sententia lata, partes nunquam audiendæ? hoc ex dictis non sequitur, sed potius contrarium, judicis enim officium est, ea quandocunque & omni tempore etiam post rem judicatam, & diu possessam corrigere & revocare, scilicet de jure naturæ, cuius beneficio res iudicata aliter non vallet, prout diximus, saltem ad remedia suspensiva, quæ executionem suspendunt, hæc non quadrare intellectum volumus pro hoc usu, ut eo me ius constet quam pessime processus dictorum remediorum tantus formetur, ita ut utraque pars iura sua deducat, ne indefensa sit, judicis enim officium esset ad solam supplicationem partis læse, non audita altera, gravamen contra ius vel factum illatum corrigere; pallium vero juris naturæ & hic tantummodo adhibetur, quod revelasse magis prodest, quam nocet.

C

§. 18.

§. 18. Hæcce circa examen eorum quæ in processibus iuris naturæ esse dicuntur sufficient, videndum nunc quoque, quæ ratione ea quæ dicto modo ad substantialia pertinent, vel etiam salva re adnumerari possent, pro illo modo, quo communiter tractantur, veram & genuinam differentiam inter processum ordinarium & summarium plane non constituant, quando enim dictum, loco libelli solennis, saltem desiderari aliquam facti narrationem, loco litis contestationis aliqualem responzionem, loco probationis designationem, Bescheinigung, quod ultimum tamen raro obtinet, & ita porro, hoc saltem in terminis differt non ipsa re, nam & in illis locis, ubi in libelli solennis examen non adeo curiose inquiritur ac vix viginti annis exemplum vel easus auditur, ubi ad ineptum libellum pronunciatum, ac in Saxonia, ubi in judiciorum quotidie interlocutoria præsto est, daß die Klage, massen sie angebracht, nicht statt habe, & ubi reus tam precipite ad singula capita libelli litem affirmative vel negative non contestatur, sed generaliter narrata prout narrantur negat, vel saltem per indirectum & excipiendo judicii indicat, quoique negat vel non, vel actorem fundatum credat vel non, nihilominus processus & que diuturnos esse, ergo hæc ratio constituendæ differentiæ fallit, & alibi vitium diuturnitatis tam ratione illius quam communis processus latitare constat, uti ex sequentibus patet. Totus vero processus in quatuor potissimum classes distingui potest, quas etiam in referendis actis & circa quæ status causæ formandus, probe observasse multum interest: Prima continet ea, quæ circa litis contestationem, & usque ad eam, ac dilatoriij dijudicantur, donec iis questionibus per judicatum aliquod finis impositus, secunda classis tractat ea, quæ ab haec interlocutoria usque ad sententiam definitivam perficiuntur, & potissimum consistunt in probatione, rotulo testium, formatis desuper exceptionibus, deductionibus, & ita porro, tertia classis pertinet ad ea, quæ adhibitis remedii suspensivis, circa examinationa gravamina & eorum relevantiam pertractantur & deinde quarta exhibet ipsam exceptionem, & quæ in illa obveniunt, circa liquidum velliiquidandum vel alia competentia, item quoad

quoad modum exequendi, si in solutum res adjudicanda, vel subhaftatio aut venditio mobilium occurrat, vel sequester dan-dus, & ita de cæteris.

§. 19. Quid itaque primam classem attinet, multa quidem pro evidatis requisitis processus ordinarii in causis summaris adducuntur, ad vero docet quotidiana praxis, & occurrent deinceps exempla, nullum fere processum inveniri, quin circa dilatorii infinita tempora & integri anni consumantur, ut non sit novum post diu peractum processum, ex eis demum pluribus annis adhuc super litis contestatione controverti, & pronun-tiandum esse, utrum enim exactus libellus dicto modo non exigatur, atamen tot aliae quæstiones circa libellum occurrentes de-terminandæ, quæ non possunt non diurnitatem promovere, v.g. circa cumulationem plurium personarum incertitudinem tum ratione citationis, circa quæstionem de legalitate illius, an subsidiaria de necessitate, an realis admittenda, an insinuatio rite facta, & quomodo hæc disquirenda, tum ratione contumacia & ejus accusationis tam contra actorem quam reum, quo modo illud fiat, circa dilatoriam citationem, quomodo circa peremptoria n, an in hac reus pro negante habendus, & actor illo non auditio ad probationem admittendus, ut ita amittat reus ex-ceptiones dilatorias, an pro confesso vel convicto habendus, vel annon potius in dubio adhuc admittendus, & ita post con-troversias diu exactas exhibitis desuper toti remedii suspensivis processus quasi de novo inchoandus, demum, quomodo legitima i[n]pedimenta probanda, & quæ pro talibus habenda, quan-do prorogatio concedenda, & quoties, ac ita in infinitum.

§. 20. Atque adeo cum minima quæstio sit, de solennita-te libelli & litis contestatione facile apparet, quam fallaces regulæ sint in dilatorii, ratione causarum summariarum, nisi his omni-bus aliud remedium queratur. Nec interest ad rei mutatio-nem, ut consilium suppeditetur judicem cum dilatorias exce-ptiones adimere non posse, debere tamen partes urgere, ut o-mnia uno termino expediantur, nam ex modo dictis liquet, propter tot alias quæstiones occurrentes remedia omnia i[n]ania esse,

esse, cum ipsa iudicia ita jam constituta, ut propter officia judicum mercenaria, ex officio hi nihil immutare possint, inde partes de tot quæstionibus replicando, duplicando, ubi sèpius ipsa merita cause inani modo propter non factam probationem immissentur, ut plurimum disputant, ac decretum expectant. Et quis ignorat infinitas illas quæstiones, qua circa ipsam litis contestationem vel aliqualem illam responsonem, quo minus haec ab invicem ineffectu constituendi processus summarii differre possint, occurre solent, sive generaliter seu aliqui modo sive specialiter seu punctatim respondeatur, sive hoc fiat dubiose vel captiose, sive adhibeantur hoc intuitu positiones, & quomodo illis adjiciatur juramentum dandorum, quomodo respondeatur mediante juramento respondendorum, an in scriptis, an ore tenus, an in persona, an per mandatarium, & quomodo hoc casu responso verbo tenus mandato inferenda, item de interlocutoria desuper ferenda;

§. 21. Et hisce demum omnibus ad nauseam actitatis ac sententia lata, si in tot causis incidentibus se quis gravatum existinet, remedia suspensiva, vel coram eodem, vel superiori judice appellando adhibentur, quæ etiam ad miniorum per annum & ultra durant, etiamsi talis sit causa, quæ appellacionem respuit, nam & super rejectione disputatur & pronuntiatur, sèpe etiam hoc casu admittitur contra ipsas regulas, dummodo aliquo modo res dubia, propter itidem fallacem regulam, ne quis conqueratur se non satis esse auditum, & in dubio pro reo, vel eo, qui in statu defensionis, ad quam illa remedia pertinere & ita iuris divini esse supponitur, ut fileamus de tot quæstionibus ratione Procuratorum occurrentibus & legitimacionem tam personæ quam ad causam concernentibus, quibus non sufficienter antea decisus & procuratoris mandato seu pro re nata syndicatus instrumento, tutorio vel curatorio non accurate examinatis, ubi alia interlocutoria quoque intercedere solet, si principalis rem ratam habere nolit, iterum novus denuo processus inchoandus, & ita de cæteris, quæ non possunt non esse miserimi processus, infallibilia signa intantum ut sicuti nullum malum seu

seu infortunium solet esse solum; ita quoque de processu afferendum, quod nullus processus sit solus, sed in quolibet occurrant plures alii, separata in dagine est sententia conspicui.

§. 22. In secunda classe, seu capite processus, scilicet, quæ a sententia & judicato super litiis contestatione usque ad sententiam definitivam peraguntur, multa quoque occurunt quæ in processu summario non vitantur, nec processu ita directo & in instituto evitari possunt, & ita testimonium perhibent contra falsaces regulas differentias, quamvis enim circa terminum probatorium, & quæ sint stricta officia producentis & producti, ut & reproducentis & reproducti, & de desertione nonnulla limitantur, quæ vel adeo arcte in processu summario non ligant, vel etiam ad eum formandum arctius compellunt, nihilominus tamen hæc omnia non sunt in causa, quod res diurna fiat, non enim illa tempora quæ facile concedi possent & fatalia hoc efficiunt, sed potius promovent promptitudinem & fortunati essent agentes, si semper ita procederetur, nec enim sive breviora sint, sive ad aliquod septimanas extensa, multum ad rem faceret, nam quæstio nobis non est de septimanis, sed integris annis & eorum iactura; at vero tot alia sunt, quæ hoc loco iniuriæ admittuntur circa ordinem in procedendo & quæstiones incidentes, quod scilicet reproducens non facile audiatur ante producentem, cum tamen, si sparsus de veritate exceptionum constaret potissimum earum, quæ directo actionem tollunt, inutilis foret causa actoris nec remaneret quæstio, an actio vera, sed an non etiamsi vera per exceptionum probationem elisa, deinceps tot difficultates circa articulos, & eorum admissibilitatem relevantiam vel impertinentiam, ut & contra personas testium, antequam audiantur in medium veniunt, quæ omnia iniuria & an attendidebeant vel non judex ex officio & natura negotii cognoscere posset facillime imo deberet, potissimum cum ista si semel in oneantur vel etiam non moneantur non ad quæstionem facili sed juris pertinenter, quæ ita respicere ea vel observare judicis erat, tanquam solius juris & iustitie in causa administratoris.

§. 23. At vero hæc classis vel hoc caput processus nisi  
C 3 super

super enormi quæstione & gravamine remedium suspensivum adhibeat, ut plurimum adhuc anni vel biennii spacio absoluvi solet, etiamfi & alii termini addantur circa publicationem attestationum & rotuli, ubi quoque nonnullæ quæstiones occurunt, quæ tam rite non observandæ, cum citatio illa saltem monitoria, & non comparentibus partibus, quia præjudicium non patiuntur, nihilominus cum publicatione procedatur; Illa vero ratio de levi partium præjudicio si sepius in processu observaretur plura quoque inutilia fore, facile appareret, circa probationem per documenta & i lius modum procedendi nonnulla quoque occurunt, non tantum quoad ipsam recognitionem sed & comparationem litterarum, quæ differentiam summarii & ordinarii processus respiciunt, quæ tamen singula pluribus referre tædiosum foret, itemque ob reprobationem & ejus fatalia, ac potissimum initium, & quando adhuc admittatur, si notitiam habuerit reprobaturus attestationem, vel non. In juramento quoque delatione occurrit, quod non nisi finitis dilatoriis jurandum delatione prius per sententiam confirmata, quod eo absurdius, cum in quæstione ejus admissibilitatis ut plurimum respondeatur, super quacunque causa & re deferri posse jus jurandum, cum jurans præjudicium tantum non patiatur, quare ergo post tantum processum præcedentem, & non statim primo termino jurandum? sane eo usque differendi ratio mente vix concipi potest, ut taceamus tot infinitas quæstiones circa mandatum adjurandum speciale, oblationem, desertionem, fatalia, relationem, formulam, ad quas res solum definendas integri tractatus prodiere, & si in processu altioris indaginis fiant, controversiae & interlocutoriae in infinitum excrebunt, quibus propter modo dictam ratione inutilius, quid inventari vix posset, deducliones vero, quæ super probatione & salvatione a partibus traduntur & duplicantur formam conscribendi tractatus ut plurimum potius sapiunt, cum tamen judicis seu referentis extrellum officium in hoc magis latitet, ut legat & relegat documenta, & dicta testium, quam inaria illa, quæ partes desuper philosophantur, continentia potissimum applicationem juris, quod judicis officii esse toties iterandum.

§. 24.

§. 24. In tertia classe, scilicet quæ post primam sententiam definitivam in sequenti instantia circa remedia suspensi-va attenduntur, continente, ipse vulgatissimæ regulæ circa illum processum de Leuteratione, restituzione, supplicatione, vel demum appellatione, proditæ, propriæ inutilitatis testes sunto, in tantum, ut non vereamur afferere, in effectu tem-pus illud, quod communiter absolvendis illis instantiis tribui-tur, vix unquam sufficere, etiamsi questio sit de rejectione appellationis, posito quoque, quod hæc in effectu rejiciatur, quid dicemus, si ipsi deferatur, & per sua fatalia gradusque ac incidentia tractetur; Cujus rei, nulla alia causa, quam quod gravatus non solus, sed & altera pars audiatur, ne contra jus naturæ indefensus sit, prout superius demonstravimus, & vel ideo hujus controversie inutilitas apparere potest, quod con-troversia supponat causam facti controversam & dubiam, hic vero saltem de fo'ius gravati dubiis questio sit, consistens in hoc an jus rite applicatum vel non, & ita facta applicatio cor-rigenda. Prodeat nunc quarta classis obseruans ea, quæ cir-ca executionem in judicio tractantur, & deducenda veniunt, & de hac quidem primo intuitu videri poterat, ac si quando ad eam res deducta, quasi de fine processus & conclusione toties rei non aliter credendum & sentiendum, nisi quod omnis finis jucundus, & ita actor comparandus, cum nauta, qui pas-sis navigi velis, dominum maris invocat, ut ventum det in puppim. dum maris transmissio cursu in portus appellat, ut Basil. Seleuci: O-rat. 15. At vero verius nobis videtur judicium consummati cujusdam praetici, sentientis, processum, quando ad terminos exe-cutionis redactus, tum demum usque ad dimidium pervenisse, ut enim taceamus modum procedendi in ipsa executione, circa mobilia, & potissimum immobilia, sequestrationem, subhasta-tionem, vel alibi locorum estimationem, & insolutum adju-dicationem, nam nostrum non est recensere totum processus ordinem, sed saltē quatenus hic conspicua diuturnitate tol-lat differentiam summarii, quem desuper fugit? quo remedia aduersus ipsam executionem & exceptiones competant, tum quo-

quomodo succedat, quæstio formandi liquidi, vel excessus in ipsa executione, ut ad novum processum hanc rem saepius recensere conveniat, imo casus adsint, ubi post septuaginta annos tanquam septuaginta, perversi processus interpretes, novus causæ status de liquido, hoc est, quid & quantum debet, formatus, ubi quoque monendum, quod saepè tertius jus aliquid in re, quæ in executio- ne est prætendat, quæ quæstio tunc quoque determinanda.

§. 25. Hæcce de regulis summarios processus confundenti- bus, in tantum dixisse juvabit, videamus nunc quoque de qui- busdam causis in specie, & inutilitate remediorum in subsi- dium vocatorum, nec quicquam operantium. Et ante omnia quidem opponi posset processus possessorii summarissimi, quem enim in vim argumentandi contra nos, fugeret? hunc pro- cessum quæstionibus momentaneis finiri, nec exceptiones al- tioris indaginis, nec remedia suspensiva admitti, solamque quæ- stionem, an non vero quomodo definiri, at vero ista omnia ad rem nostram nihil adferunt, nam eo ipso, quod sola quæ- stio facti, & quidem meri facti, an quis posideat, tractatur, liquet, ad processum verum hanc rem non pertinere, utpote ubi jus applicatur ad factum, quod hoc loco proprie non fit, sed potius ad interim saltem, prospicitur, possidendi, ut securus sit in futuro processu, & adeo non est ipse processus sed illius introitus, tradens præliminaria ejus, de qua re videar integra dissertatio Illust. Dn. de Coccej. de eo quod meri facti est, in ordinario autem possessorio remedia suspensiva & reliqua admittuntur, prout vulgatum est. Executivum vero processum nec hodie ad summarios facile recenseri amplius posse, vix negandum, etiam si hic potissimum tot benefi- cia processum ordinarium superantia communiter tradantur nec enim petitur responsio, sed recognitio, & tot subsidia communicantur, ne quis per stratagemata adversarii in ordi- narium deducatur, nec admittuntur exceptions, nisi in con- tinenti liquidabiles, nihilominus tamen quotidiana praxis rem loquitur contrariam, ecquid enim requiritur, ut executi- ve agi possit, si enim vel altera pars quoque habeat, quod impleat,

&amp; ne-

& negotium aliquo modo reducatur in bilaterale, vel bienium non præterlapsum, vel quædam rasura, aut aliud vitium vel aliquid conditionis, vel relativi quod productionem relati requirere possit reperiatur, vel sa tem affingatur, quæstio prius deciditur, & dictus processus sua natura non fundatur; ac etiamsi hæc omnia non esse, patet tamen ex antea dictis processuum communibus, ordinarium cuiuscunque processus modum diuturnitatem tantum minus principaliter caufari, magis vero reliqua, quæ alias occurunt, & communiter incidenter formantur à reo fugiente, audienda tamen, & judicanda, vel tanquam utilia, vel inutilia, ne quis dicat, se non esse satis auditum, inde Processista Saxones non admittendo iuramenti delationem, ratione exceptionum actioni executivæ directo contriarum, rem sane non tangunt, cum tamen testium attestations aliquo modo admittant vid. *Carpz. Part. I. C. 8, Def. II. § 29.* Ne enim quis credat processus executivos in Saxonia cito terminari; iusjurandum vero, si quoque summarie tractaretur, nec ratione ejus tot nævi jam adduci adessent, omnium critissime rem expedire posset, quare etiam alibi admittunt. *Brunn. ad L. 38 ff. de Jur. Jur. num 10. § 9.*

§. 26 Alia ratio compendiose magis procedendi putatur, & in non nullis quoque locis adhibetur, scilicet per processum mandati, vbi non tot circumstantiae & ambages attenduntur, sed statim per mandatum aliquod de solvendo, vel aliud quid præstando vel intermittendo proceditur, & videntur quidem multa dubia hac via procedendi sublata, cum, si quis docere non posset, quare non teneatur, statim rem esse expeditam, statuendum, at vero hic sane modus procedendi inter inutiles, fere inutilissimus est, præterquam enim quod experientia testetur, in illis locis, ubi omnes fere processus per mandata initium capiunt, æque longinquos esse, quam ubi solennissime proceditur, & ipsa natura negotii de inutilitate testis est superflua, est enim & altera pars audienda, ad quam rem citatio suppeditatur, vel quod maxime ratione poenæ evitandæ mandato quandoque adjectæ prodet, ab ipsa parte extrahitur quo facto mandatum illud in vim simplicis citationis resolvitur, per vulgatissima practicorum, &

D

ita,

ita, etiam si poenale fuerit, effectu ipsius resoluto & suspenso, causa ipsa tractatur ab initio, eodem quo alias modo, admissis omnibus exceptionibus, & pena mandato adiecta cessat, nisi post resolutionem citatione factam, mandatum confirmetur sub comminatione nova poenali, quæ confirmatio necessitatis est, Gail. l. i. obs. 19. n. 6. Grav. lib. i. Concl. 19. Confid. 2. Carpz. in proc. Jur. tit. 23. art. 4. n. 37. it. n. 50. & 51. cui rei addendum, quod etiam si mandatum poenale confirmetur, si demum ipsa causa determinata sit, ad poenam attendi non possit, v. Mev. P. g. D. 84. hac enim decisa circa penam nullius interest, non judicis, cuius officium in rebus partium & præcipue hoc loco plane mercenarium, v. Dn. Lndovici in Proc. civ. cap. 3. §. 10. nec partis, quippe cuius causa determinata, quare etiam de fallacia hujus processus ipse testatur cit. Ludov. all loc. §. 9.

§. 27. Cambialis ergo processus erit hic unicus, qui exceptionem prebeat, posse etiam adhuc, datis regulis & præscripto ordine, nihilominus summarie & levato velo procedi, & ita quidem est, nec dubium, si modus rite observaretur, posse aliquam æquitatem in nostris foris fugitivo oculo aspici maxime cum nullæ exceptiones admittantur; At vero quantum restrictæ sint hæ regulæ, nihilominus, si ad processum deveniatur, inveniuntur quoque aliæ regulæ, processibus fundatæ, priores limitantes, & experimur, hos quoque processus aliquot annos protrahi, & per omnes instantias deduci. At inquis appellatio non est admissibilis in causis cambiorum; Et ita regula quidem est, sed quid intererit partis an rejiciatur appellatio vel non, nam & donec rejiciatur, tempus consumitur, quod caput negotii est, ita enim facile judici superiori quedam finguntur, quatenus causa cambialis per omnia non sit, vel alias justitia denegetur, vt inhibeat, & saltem rei cognitionem quoad admissibilitatem vel rejectionem suspiciat, qua omni tempus requirunt, proinde variae circumstantiae occurrere possunt, quæ facili efficerent, vt causæ cambiales resoluantur in processum executivum, quare cambiales litteræ accurate recognoscuntur, an omnes partes essentiales, quarum plures sunt & potissimum septem connumerantur, adhinc, unicum enim si desit, resolvitur processus & fit

fit executivus, vel saltem controversia desuper facta prius deciditur, ubi si quoddam gravamen, iterum appellatur, & deinceps sineus singat se esse adhuc minorem, qui ut plurimum eximuntur v. jus Cambial. Magdeb. art. 4. & 5. dummodo egregie barbatus non sit, vel apparenter decrepitus, sane hæc quæstio resolveret processum, ut taceam tot alias quæstiones altioris indaginis, quæ circa causas cambiales occurrere possunt, v. g. si acceptans pro parte solum cambium acceptet, & præsentans de residuo jus suum rite & exacte non observet, quod iterum aliam indaginem expectat, circa protestationem & remissionem eadem obstatcula occurrunt, item circa questionem adversus quem an indossantem vel trassantem regressus primum instituendus si quoad indossantem difficultates oriuntur, & interim eunt anni, ac interesse cum hora ruit, non dicam quomodo probandum, an alter plane non solvendo, vel tertius non requisitus pro existimatione trassantis cambium solvat, vel tempus cambii præteriorit, vel quis amiserit literas & alter fateatur, & reliqua, in quam resolutionem processus cambialis in executivum, opere pretium foret alio tempore inquirere.

§. 28. In causis igitur matrimonialibus, quia non est quæstio de re in commercio, sed de personis ipsis, potissimum si de cogendo invito agatur, sine dubio facilius erit processus, & tanquam maxime extraordinarius citissime componendus, inde etiam, plane nulla dilatoris, nec libellum in scriptis judicem admittere debere ne de eo & ante probationem otiosæ quæstiones tractentur, practici communiter volunt v. Carpz. in *Jur. pr. Consil. L. 7. Def. 27. n. 10. & 11.* At vero si quis alias quæstiones otiosas & inutiles immisceat, & hunc processum perpetuari testantur judicia nonnulla, ita ut diversa volumina, admissis omnibus instantiis, in solis dilatoris vel aliquo modo mixtis, antequam tam prima interlocutoria super Lit. Cont. judicati effectum sortiri potuerit, & probatio vel reprobatio institui, atque ita in prima classe & articulo processus, actitata, non levis fane molis, presto esse possent, quidigitur mirum, quod omnia in processu fallant.

§. 29. Quos sane enormes & intolerabiles in republ. defensus,

ctus, & ipsam certe legem socialitatis humanæ turbantes & ever-  
tentes, emendare si non corrigerre plures Jcti conscientiosi, in-  
ter quos præcipui B.Dn.Brunnemannus & illuſtr.Dn.Stryk in Pro-  
cessibus suis descripsijs passim adhibita egregia opera studuerunt,  
sed frustraneus fuit hac tenus omnium labor, & quod potissimum dolendum, omnia fere illa remedia, contra diuturnitatem  
in medium prolata, ipsa non potuerunt non magis nocere  
quam prodesse, eatenus de fallacitate incorrigibiles sunt regulæ  
processus; Examinemus saltem quatuor, audientias nimurum,  
transactiones, juram, malitiae, & Rescripta Principum; Quodenim  
audientias attinet mundi. Verhöre, exceptis causis ubi persona-  
liter comparendum, ille vel fiunt ut dicta partiū in registraturam  
seu protocollo, vel plane non redigantur uti nonnullis locis  
consuevit, priori casu impensē sunt inutiles, nam ea etiam in scri-  
ptis proponi possunt, unde tot partes se ipsas fallunt, quandoque  
viginti & plura millaria proficificentes, ad Dicasteria potissimum  
in provinciis ambitiosis, levi ambitu non circumscriptis, vti in  
Pomerania nostra, ut audiant quid in termino tractetur, & quo-  
usque causa in illo redigatur, quod tamen & ante terminum ab  
advocato scire possent, putant vero communiter in audientiis  
causam finaliter tractari, vnde inter tales deceptos miseros  
proverbium consuevit, si potissimum tædio fere consumti sint;  
Sie wachten noch einen Termin oder Verhör in der Sache abwarten,  
wenn es denn nicht ginge, so wachten sie selber gar liegen lassen; At vero  
si scirent quantum ad rem vel causam principalem facerent istae  
audientiae processum nunquam inciperent, tanto vero minor  
est utilitas eārum, ubi prolata in termino actis non inserun-  
tur, & ita si ad extraneum res abeat, hæc pertinent ad inco-  
gnita. Idem judicium est de transactionibus & compositioni-  
bus amicabilibus, hārum tentatio prima est in processu & ita  
quoque prima inutilitas, si enim partes litigare nollent, in  
judicium non venissent, ut non negandum, quandoque ali-  
quid conferre, præprimis si judices circumstantias parti agenti  
incognitas remonstret, sed hoc raro fit, & partes perso-  
naliter non comparent, at nobis sermo potius est, de reme-  
diis ad compositionem & transactionem coactivis quæ ad re-  
pellent.

pellendos! pertinaces inventa, & in nonnullis causis de necessitate esse deducuntur, ut ratione personarum cognatarum vel causarum scandali, nonnunquam per consequentiam requiruntur necessario, cuius rei specimen deprehenditur, in *ord. nat.* *Process. Magdeb. cap. 6. §. 2.* ejusque modus procedendi est, quod contra eum qui omnia media rationabilia compositionis contemnit, & rejicit, si causa non excedat 300, imperiales, statim per decretum procedendum, contra quod nullum remedium suspensivum admissible juncta tamen clausula justificatoria, ut doceat, quare non tenetur stare transactioni, quo facto super illa quæstione procedendum, & pronunciandum, quæritur quomodo? *Resp.* sine dubio; neminem teneri invitum transfigere, ergo hisce inutiliter peractis denuo incipiat processus, quare etiam hoc remedium tanquam difficultatibus potius ansam præbens in *Ementatione dicta ordinationis* rejectum; eodem communiter res quoque recidit cum reliquis coacti vis mediis transfigendi, at determinanda hæc ulterius sunt ex processu mandati, de quo antecedentibus.

§. 30. Quid igitur dicendum de juramento calumnia speciali, hoc sane si calumnia observetur, in quocunque articulo processus etiam a judice ex officio urgeri potest, deferri vero a parte ut plurimum saltem ante Lit. Cont. cuius ratio cum novis stellis adhuc quæritur, illud vero rarius fit, & vix virginis anni prejudicium reperitur, de exactione juramenti malitiæ ex officio facta, si vero fiat, formatur punctus incidens, appellatur, & ita ipsa beneficia juris fiunt maleficia, & procurant diuturnitatem. Quod itaque *Rescripta principum* demum concernit, de administranda celeriter iustitia, ea vix attendi possunt, cum judex semper agat permittente ordine processus, & ita si Princeps a iis vice referat, vel plarie avocet acta fiunt relationes, post quas remittitur causa, quandoque cum nova excitatione, sed interea tempus abit maxime omnium irreparabile. Ex quibus omnibus, & cum omnia prout exhibuimus quæ in iudiciis peraguntur, fiant ductu ordinationis processus, judicisque officium circa illas ordinationes sit mercenarium, facile concludimus tam personarum quam ipsius rei vitium esse, in tantum ut etiam si

omnes ordinationes processus dicant biennio causas necessario determinari & finiri debere, demonstratu non difficile nobis sit futurū ex iisdem ordinationibus, earumque solo ductu, regulis quippe processus communis suppositis, duo facile secula durare posse.

§. 31. Ita sane patet qua ratione Jus naturæ abhorreat, a Regulis processus, queritur nunc, cum non sufficiat removere inutilia nisi etiam utilia substituantur, annon jus naturæ quædam suppeditet, quæ thetice pro fundamento in processu habenda & agnoscenda. Et quidem non negamus eo jure talia quædam tradi posse, sed cum hactenus legum naturalium Interpretes ex professo hoc non fecerint, & præsens thema illam tractationem non requirat, separatae cuidam indagini hæc potius remittimus, atque adeo pro hac vice differimus, quippe quæ e regulis naturalibus, de interpretatione, refarciendo damno, officio jurantium, punientium, & alias in civitate viventium eruenda venient; nobis de abstinentia Legum naturalium a putativis regulis naturæ juris hoc loco præsentia sufficient monuisse, quæ si ipsa diversis monitis indigeant, fugienti calamo ignoscantur.

### COROLLARIA.

#### I.

Non est contra jus naturæ ut idem in eadem causa sit advocatus & judex.

II. Imperatorem Iustinianum non ignorasse literas exinde non probatur, quia fuit hæreticus, ac propagaturus fuit eruditam hæresin Aphtartodocitarum.

III. Non datur heresis juridica quia certum jus non habemus & Glossa non amplius est idolum, & communis eror idem valeat, quod commune jus.

IV. Canonica innovatio Treugæ & pacis est inventum arripendi brachii secularis, nescit enim jus naturæ & publicum tempora in bello ferienda, multo minus personas a bello exemptas sive clerici sive Laici.

V. Maritus impensas voluptuarias in rem dotalem facias salva substantia rei tollere potest, nec censetur donasse, contraria vero sententia dissentientium non probari potest ex L. II. ff. de impens. in res. dot.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
**DOMINO COCH,**


S. P. D.

PRAESES.

**A**Cquisitam tibi tanta opera præclaram eruditio[n]em magis fore commenda[t]iam atque conciliatricem quam hanc testem epistolam nullus quidem dubito, cum virtus ut plurimum sit occasio[n]is, licet ipsorum quæ fata ferunt, non semper indubitata autor; nihilominus non intermitto hunc dissertationi adjungere nuntium qui Tuis, in patriam te expectantibus reducem, Patri, Patruo[que], Viris venerabilibus, post acceptam lætitiam addat, de Te quoad absen[ti]a, repetita mentione juv[en]ndia nunquam fuisse sentiendum, quod parentes propensissimo affectu anxii solent, an male sit absentibus consortio aliorum, hoc enim tibi frequentius non fuit quam soli cum libris; Abi de hinc igitur feliciter, & solve quæ debes, Patriæ & amicis, solvendo enim te esse, satis est; Et cum aliquando ad sacerdotium justitiæ quo[que]

que perveneris, ea, quæ de diutino modo  
procedendi in dissertatione prolata in me-  
dium, ratione & conscientia jubentibus, nun-  
quam non quoque applies; Ita enim, si ve-  
lis esse Advocatus, verum quoque eris Justitiæ  
Sacerdos, & uti Romanis sacerdotium olim  
erat vel publicum, vel privatum seu Gentili-  
um, innocentissimum omnium, versatum cir-  
ca theologiam civilem, quæ aliena erat, à fa-  
bulosa quam poetæ, & mystica seu naturali  
quam philosophi tractabant, ita tibi sic instituto  
& perseveranti, non erit vocandus alter sacer-  
dos in familiam, sed quævis domestica circa  
justi & decori regulas ita erunt comparata, ut  
non possint non quivis beatitudinis & civilis  
& cœconomicæ, demumque sempiternæ effectus  
in te cum ubertate redundare; Vale, dic Po-  
meraniæ nostræ, pro salute ipsius, votum me-  
um perpetuum, amicis tuis meam observan-  
tiæ, meis vero integræ fidem. Dabam Halæ  
d. 13. Octobr. 1708.





Halle, Diss., 1708 A-8

f

56.

ULB Halle  
004 530 837

3





5732

1708 11 86

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**ABSTINENTIA**  
**IVRIS NATVRAE**  
**A FALLACIBVS REGVLIS** 17  
**PVTATIVI PROCESSVS**  
**SVMMARII,**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO (4)  
SERENISSIMO PRINCIP<sup>E</sup> AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIP<sup>E</sup> BORVSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBVRGICO, CETERA.

IN ILLVSTRI REGIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE

**SIMONE PETRO GASSER,**  
IVRIVM LICENTIATO,  
FAVTORE PRAECEPTORE AESTIMATISSIMO  
IN AUDITORIO MAIORI

D. OCTOBR. M DCC VIII  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

**DAVID COCH,**  
COESLINO-POMERANVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI ACAD. ET SENAT. TYPOGR.

M D CC XL.

(4)

